

ipso facto; videtur enim id valde verisimile, tum quia non minus meretur privilegium amittere, qui fit illo indignus, quam qui illo male utitur; tum maxime quia tollitur fundamentum talis privilegii necessarium ad justificationem ejus; hoc enim esse debet talis ac tanta religionis observantia, ut in favorem ejus possit merito ille transitus interdici. Atque ad eam partem suadendam possent hic adduci multa generalia principia de legibus et de privilegiis, præsertim de cessatione eorum, cessante causa et fine adæquato. Et quidem in conscientia, si evidenter constaret de tanta religionis mutatione, sine dubio cessaret obligatio talis prohibitionis. Ad quod etiam confirmandum valet communis opinio, in cap. 9, a num. 17, adducta, dicens majorem perfectionem non esse attendendam secundum primævam institutionem, sed secundum actualem observantiam. Nihilominus, quia evidenter constare vix potest de tanta mutatione, quæ ad hoc sufficiat, ideo non est privanda religio tali privilegio, præsertim in exteriori foro, donec in eo declaratur aut privetur.

*Primum dubium, an transiens absque facultate Superioris sit apostata?*

15. *An sint apostatæ, qui mutant religionem sine facultate.* — Interrogabit vero ulterius aliquis, an religiosi, transeuntes sine facultate Superiorum juxta illud privilegium necessaria, sint apostatæ, et incurrant censuras non solum speciales illius Indulti, sed etiam jure communi impositas contra apostatas, vel dimittentes habitum suæ religionis. Ratio dubii est, quia communiter Doctores asserunt non esse aliquem apostatam transeundo ad aliam religionem, etiam indebite. Unde in definitione hujus apostasiæ ponunt, quod sit desertio hujus religionis, sine transitu ad aliam, ut videre licet in Sylvest., verb. *Apostasia*, q. 4, cum Glossa, in cap. finali de Apostatis, et cap. *Ex parte*, de Temporibus ordinationum, ubi Innocentius, Panormitanus et alii idem sentiunt. Idem Innocentius in cap. ult., de Renuntiatione, et in cap. *Intelleximus*, de Ætat. et qualit.; Cajetan., 2. 2, q. 12, art. 1; Navar., consil. unico, de Apostatis; et Summistæ ac moderni communiter, quorum fundamentum est, quia apostasia est retrocessio ab statu religioso; in eo autem casu non retrocedit quis a religioso statu, sed solum a tali statu religioso, quæ licet sit illicita mutatio, non tamen apos-

tasia. Quæ quidem sententia esset mihi indubitata secundum antiquum jus, in eo casu in quo quis transiret ad religionem strictiorem absque ulla licentia saltem petita, quia licet peccaret, non tamen in substantia mutationis, sed in modo, neque illa potest dici retrocessio, tum quia non est recessus a promissione facta; tum etiam quia potius est progressus et tendentia ad majorem perfectionem. Unde magis ibi peccatur per excessum temerarie tendendi, quam per defectum retrocedendi.

16. Extra hunc vero casum, difficilem semper judicavi illam sententiam, quamvis communem, quia, considerata rei natura, illa videtur formalis apostasia, et antiquum commune jus nullam quoad hoc faciebat mutationem. Hæc posterior pars in confesso est. Prior vero probatur, primo, quia apostasia a religione dicit retrocessionem ab statu religioso, et a pacto cum Deo et cum religione inito; sed, qui relinquit suam religionem propter aliam non meliorem, retrocedit a pacto inito, et ab statu quem retinere tenebatur; ergo. Quod si dicatur non recedere a religione in communi, sed a tali, contra hoc est imprimis D. Thom., dict. quæst. 12, art. 1, ubi dicit: *Contingit aliquem apostatari a Deo, retrocedendo a religione, quam professus est, nec posuit limitationem, sine transitu ad aliam: qui autem exit animo transeundi præsertim ad laxiorem, revera retrocedit a religione quam professus est; quando enim tendit ad meliorem, licet relinquat illam, quam professus est, non retrocedit, sed ulterius pergit; quando vero tendit ad æqualem, licet retrocedere non videatur in ordine ad perfectionem, ut sic, in eo tamen retrocedit, quod infidelis est promissioni factæ. Secundo argumentor in hunc modum, nam professio facta in alia religione, sive æquali, sive laxiore, est ipso jure nulla, quando fit sine dispensatione, et sine licentia propriæ religionis, ut supra probavi; ergo transitus ad talem professionem non est transitus ad statum religiosum verum, sed apparentem et fictum; ergo simpliciter est retrocessio a vero statu religionis.*

17. Potest controversia hæc, ut dixi in simili aliquanto superius, esse de modo loquendi; tamen si loquamur de specie malitiæ quam peccatum illud in re ipsa habet, profecto est ejusdem speciei; nam ejus intrinsicæ malitiæ non consideratur ex termino ad quem tendit, licet inde possit minui vel auge-

ri juxta intentionem operantis, sed sumitur ex termino a quo recedit, id est, ab injuria quam propriæ religioni facit, quæ ejusdem rationis est, quocumque indebite tendat, et ita si unum peccatum est apostasiæ, etiam et aliud. Nisi quis contendat, vocem apostasiæ, non utcumque significare peccatum habens illam malitiam, sed connotando quod fiat animo relinquenti omnem religionem, seu simpliciter statum religiosum, quod pertinebit ad quæstionem de modo loquendi; oportebit tamen ostendere vocem illam, aut ex primæva significatione habere illam vim, aut ex usu juris; neutrum autem, ut opinor, potest satis ostendi.

18. Primum quidem, quia apostatari, in latino rigore tantum significat deficere, et impugnare quod antea probabatur. Unde dicitur apostata a fide qui ab illa deficit, et impugnat, cum antea probaret, et ibi quidem non potest esse transitus ad aliam veram fidem vel Ecclesiam, quia hæc est una tantum. Tamen, quacumque ratione excogitarentur duæ, transitus ab una ad aliam contra fidelitatem vel professionem ejus esset apostasia, sicque inter hæreticos censetur apostata, qui ab una secta ad aliam transit. Magisque accommodatum exemplum est, si tempore legis veteris aliquis circumciscus vellet adducere præputium, et transire ad solam legem naturæ etiam sub vera fide, et cultu unius Dei; esset enim nihilominus apostata, ut satis significat Paulus, 1 ad Corinth. 7; ergo ex vi vocis non potest illa significatio colligi. Neque ex vi juris, quia nullibi in jure id explicatur, et potius jura in universum vocant apostatas, omnes iniquos desertores suorum institutorum, quod statim ex Indultis Pontificum ostendemus. Nec etiam ad effectus juris erat necessaria significatio, quia nulli sunt effectus quos jus operetur in apostatas, quos non etiam operetur in hos desertores suæ religionis propter aliam non meliorem. Quia, ut supra vidimus, propter apostasiam, ut sic, nulla excommunicatio est ipso jure lata, et infamia, quæ inde contrahi potest, etiam in hoc casu contrahitur durante delicto; nam ingressus indebitus et invalidus in aliam religionem nihil excusat, secundum veram rationem juris, etiamsi in hominum opinione nonnihil diminuatur. Excommunicatio autem, quam apostata incurrit, dimittendo suæ religionis habitum, non evitatur propter transitum ad aliam, ut probavi in 5 tom. tertiæ part., disp. 23, sect. 4, num. 26; ergo nullius

utilitatis est negare hoc delictum esse veram apostasiam, quoad nomen, cum tota res in illo inveniatur.

19. *Consecrarium ex nunc traditis.* — Ex quo infero nunc, omnes transeuntes a sua religione ad quamcumque aliam quocumque titulo majoris perfectionis, in casibus per nova jura vel Indulta Pontificia prohibitis, et sine licentia in eisdem Indultis requisita, esse veros apostatas. Exempla sunt primum in extravagante *Viam*, de Regularibus, ubi prohibet Papa sub excommunicatione latæ sententiæ, et sibi reservata, ne aliquis ex ordinibus Mendicantibus ad monachales transeat, Carthusia excepta, sine Sedis Apostolicæ facultate; religiosus enim mendicans transiens contra illam legem apostata censendus est, propter rationes factas. Idem dicendum est de quolibet religioso Societatis, si ad quamcumque religionem sive monachalem (Carthusia pro semel tantum excepta), sive mendicantem, sive quamcumque aliam, sine facultate Summi Pontificis, vel sui Generalis transeat, erit enim apostata, atque ita illum appellant Pontifices: Paulus III, in sua Bulla ultima, ubi post privilegium concessum, et factam prohibitionem aliter egrediendi, subdit: *Illos sic egressos ac alios quoscumque dictæ Societatis apostatas, ut etiam alios quosvis insolentes, et qui id mereri videbuntur, in quocumque habitu apostatas predictos contigerit inveniri, excommunicare, capere, et incarcerare licite valeant, ex quo verborum contextu constat illos sic egressos vocari apostatas, tum ibi, et alios apostatas, tum maxime quia in quocumque habitu inveniuntur sic egressi, ut apostatæ excommunicari et capi permittuntur. Pius vero V expressius dicit: Si quis absque Superioris licentia exiret, et in seculo vel alio etiam regulari loco degere præsumeret, liceat dicto Generali, aliisque dictæ Societatis Præpositis et superioribus eosdem transgressores, et transeuntes tanquam apostatas, ad suam societatem revocare. Nec dici potest illam particulam tanquam esse diminutivam, quia æque cadit in egredientes ad manendum in seculo, vel transeundum ad aliam religionem. Denique Gregorius XIII, in citata Bulla *Dilecte fili*, expresse dicit: *Qui secus fecerit, in excommunicationem, et alias apostatarum penas et censuras eo ipso incurrat.* Quid ergo illi deest, ut sit verus apostata? Loquitur autem etiam de transeunte secunda vice ad ordinem Carthusianum. Unde constat nihil referre, quod tran-*



situs fiat titulo majoris perfectionis, vel securitatis, nam hic titulus maxime colorari poterat in ordine ad Carthusiam.

20. Dices: qui sic transit, non potest dici retrocedere ab statu religionis, cum majorem perfectionem intendat. Respondeo: hoc argumento probaretur, si quis illo titulo in eremum tenderet, ut duriores et perfectiores vitam ageret sub aliquo habitu religioso, vel quantumcumque austero, non retrocedere, quia semper intendit majorem perfectionem, et consequenter non esse apostatam, quod falsum esse constat. Non sufficit ergo intentio, nisi medium proportionatum sit, ad quod necessarium est ut in vero statu religionis perseveret. Hoc autem non fit in illo transitu; nam ille status, qui videtur assumi, non assumitur re vera, et ita duplici titulo fit retrocessio, etiam in eo casu, quia et non permanet in statu religioso, et violatur pactum religionis prius assumptæ. Ampliari hoc potest, etiamsi religiosus prius fugitivus fuerit, sine animo apostatandi; nam ille etiam non potest suo arbitrio, vel ad vitandum supplicium suæ religionis, aliam ingredi non arctiorem; nam de arctiori tolerari posset, supposito priori malo; de aliis vero minime, quia illud per se malum est, et non fit licitum ex priori malo, id est, ex præcedenti fuga, quia nemo debet ex iniquitate sua commodum reportare. Addit vero lex quædam Hispaniæ, part. 1, tit. 7, lib. 10, si religiosus fugitivus in ea regione, in qua versatur, cum ad meliorem mentem convertitur, non inveniatur monasteria sui ordinis, nec arctioris, vel æqualis, posse ad laxiorem transire, quia si nullum inveniatur, etiam potest inter honestos seculares vivere. Ubi Gregorius Lopez advertit legem illam non esse sumptam ex aliquo canone, sed ex dictis Raimundi, quem refert, et sequitur Summa Angelica, verb. *Religiosus*, num. 34. Et intelligendum est quando reditus ad propriam provinciam esset moraliter impossibilis.

*Secundum dubium, silne etiam apostata, qui, oblenta quidem licentia, alias Indultorum predictorum conditiones violat.*

21. Sed quæret ulterius aliquis, an necesse sit servare in hujusmodi transitu ultra licentiam etiam modum vel alias condiciones in prædictis Indultis, seu privilegiis positas; ita ut etiam per earum violationem apostasiæ crimen incuratur. Ad hoc, generatim loquendo, solum respondere possumus, consideranda esse

verba privilegii, et juxta tenorem ejus esse judicandum; nam modus et circumstantiæ omnes, quæ præceptæ fuerint, servandæ sunt, et siquidem fuerint tales, ut earum ommissio irriter ingressum vel professionem in alia religione, vel illa impediatur, incuratur per illam transgressionem crimen apostasiæ; si tamen modus non est tantæ necessitatis, ejus ommissio ad tantum crimen non sufficit. Ratio prioris partis est, quia, eo ipso quod alia professio non est valida, et vel non tempore debito, et in eo statu permanet, existit religiosus extra statum et obedientiam suæ religionis, cum animo ita perdurandi, sine debita facultate, quod est apostasiæ crimen. Ratio autem posterioris partis e converso est, quia tunc non receditur a statu religioso, etiamsi in modo commutandi illam aliquis defectus committatur, et ideo substantialiter, ut sic dicam, non receditur a pacto professionis, quia transitus fit cum licentia sufficiente, saltem ad valorem actus.

22. *De conditione in speciali, ut intra trimestre fiat transitus.*—Intelligetur hoc melius descendendo ad aliquod particulare, ad cujus instar poterunt facile reliqua declarari. Persistemus autem in eodem exemplo num. 19 allato, de Indulto Societatis, in quo imprimis pro transitu ad ordinem Carthusiensem designantur tres menses, intra quos teneatur illum Ordinem ingredi, qui eo titulo e Societate egressus est. Pro aliis vero Religionibus, quando transitus ex licentia Superioris fit, eidem Superiori committitur, ut tempus præfigat. Si ergo sic egressus intra tres menses, vel designatum tempus, religionem aliam ingressus non fuerit, et ad Societatem statim non revertatur, pœnam excommunicationis ipso facto imprimis incurret, juxta Constitutionem Pii V dicentis: *Absque ulla mora ad dictam Societatem regredi teneantur sub pœna excommunicationis præfata, quam incurrent sive voluntarie non ingrediantur, sive quia non recipiuntur, ut ibidem explicatur.*

23. *Temperatur dicta conditio de trimestri.*—Oportet tamen, ut ipsa mora non redeundi voluntaria sit, alioquin non erit peccaminosa; si propter impotentiam, vel naturalem, vel moralem, reditus aliquantulum differatur, non incurretur censura, quia excusatur culpa, idemque erit si mora sit adeo brevis, ut prudenti arbitrio non censeatur sufficiens materia peccati mortalis. In quo tamen scrupulose cavenda est mala fides, quia ubi lex præfixit certum terminum ad solvendum de-

bitum, eo ipso quod totum tempus elabi permittitur, tota substantia præcepti violatur, ut patet in præcepto confessionis annuæ, vel recitandi horas quotidie; non enim licet transferre actum ab uno die in alium, nec differre confessionem in primum diem alterius anni ecclesiastici, nec propter brevitatem moræ fiet illa culpa venialis. Sic ergo posset quis in præsentibus argumentari. Non tamen est omnino simile, quia ex vi illius legis non cogitur quis intra terminum trium mensium ad Societatem redire, sed ingredi aliam religionem; si autem intra illum terminum non ingrediatur, finito illo termino tenetur sine mora redire, et ita tempus redeundi non habet indivisibilem terminum præfixum, sed tantum hunc, ut fiat, scilicet, sine mora, in quo necessario debet intervenire prudens arbitrium, et bona fides, ideoque licet aliqua parva negligentia aliquantulum detineat, non erit statim peccatum mortale.

24. *Quando posset simile evadere.*—Et hoc quidem verum est quoad illud tempus a jure designatum pro Carthusia; nam, in eo quod Prælati pro aliis religionibus limitare potest et debet, potest ipse præfixum terminum eundem, vel diversum ad utrumque effectum designare, verbi gratia, ut intra mensem teneatur redire, vel ingredi; aut, quod si intra mensem non recipiatur, intra alios quindecim dies redire teneatur; et tunc videtur procedere ratio facta, quod si, intra præfixum terminum, præceptum non impleatur, substantialiter violatur, et ideo gravis erit culpa, etiamsi post elapsum terminum mora sit brevissima, nisi alia excusatio impotentiae intervenerit. Posset etiam sufficere ad excusationem probabilis præsumptio voluntatis Prælati, quod non fuerit mens ejus cum tanto rigore terminum illum præfinire, sed cum ea amplitudine qua in moralibus parum pro nihilo reputatur. Et juxta hoc privilegium cessat sollicitudo Doctorum admonentium ne Prælati religionis det licentiam monacho abeundi, donec ei constet, et aliam religionem esse paratam ad suum subditum recipiendum, et ipsum esse expeditum ad immediate transeundum; quia alias daretur ei occasio vagandi. Ita Innocentius et alii, in cap. ult. de Renunciatione, et notat Rebuffus, in Practica, tit. de Translatione monachorum, num. 8, et latius referens plures Gregor. Lop., in l. 7, tit. 7, part. 1, verb. *Aotra*. Hoc vero consilium non in aliquo jure, sed in prudenti consideratione auctorum fundatum est; sæpe

autem non potest moraliter ad praxim reduci, sed necessarium est dare licentiam subdito, ut eat ad quærendum locum ubi recipiatur. Unde id fieri posse Innocentius fateatur, relento tamen habitu, ut ego intelligo, et præfixo termino, ut vitetur illud incommodum vagandi, et ad hunc finem, et ad tollendam omnem dubitationem, et augendam potestatem, privilegium illud concessum est.

25. *Assignatum tempus ad transitum, an licite insumatur sine animo transeundi.*—Sed quæres an peccet religiosus manens toto illo tempore, verbi gratia, per tres menses extra monasterium, si multo antea vel mutavit propositum ingrediendi alium ordinem, vel certe intellexit non fore in illam recipiendum; videtur enim non peccare, nam Pontifex absolute concedit, ut *infra tres menses*, etc.; ergo potest libere uti tota illa concessione, etiamsi jam de effectu desperet, quia, licet data sit licentia propter illum finem, non cessat ipso facto cessante fine, ut patet de quacumque alia facultate data ad existendum extra monasterium per annum, verbi gratia, ad aliquod negotium peragendum; nam, licet antea perficiatur, non cessat licentia ipso facto, quia ille terminus videtur positus, ut ultra illum reditus, vel ingressus non differatur, non vero sub conditione, ut si antea finitum negotium fuerit, expiret facultas, nisi talis conditio in ipsamet facultate exprimat.

26. *Primus casus in hac quæstiuncula resolvitur.*—Hæc interrogatio non habet unam simplicem responsionem, quia multis modis possunt circumstantiæ variari. Primo ergo si quis a principio non habeat animum transeundi ad aliam religionem, sed eo colore petat facultatem, ut habeat occasionem eo tempore libere vagandi, non est tutus in conscientia, nam et exeundo graviter peccat, et permanendo eadem intentione extra claustrum, et extra actualem obedientiam alicujus religionis. Probat, quia illa facultas est subreptitia; prima enim conditio requisita in tali Indulto est, *ne ad alium ordinem transire velint*; ergo si revera nolunt, sed solum fingunt velle, nec possunt uti facultate juris, quia de illis jus non loquitur, nec in eis completur conditio quam jus postulat, neque etiam uti possunt facultate Prælati quem decipiunt. Est ergo ille exitus sine legitima facultate; ergo peccaminosus, et quidem non sine culpa gravi, juxta dicta in superioribus de obligatione ad clausuram; quamvis enim illa dici non possit apostasia, quia et retine-



tur habitus, ut suppono, et intentio redeundi intra illud breve tempus, neque in exteriori foro appareat fuga, tamen coram Deo revera est quædam fuga, quia est exitus invito Prælati; deceptio enim reddit illum involuntarium; est etiam illa deceptio ex mendacio perniciose, et contra Prælatum, quia decipit illum in re gravi, et privat illum subjectione et obedientia ipsi debita, et contra religionem, cui potest magnum detrimentum ex similibus fictionibus provenire.

27. *Secundi casus resolutio.* — Nota. — Deinde, licet exitus sit factus bona fide, si postea mutat animum, et statuit non ingredi alium ordinem, tenetur statim ad proprium redire, nec potest licite abuti tempore a lege concesso, vel a Superiore designato. Probat, primo ex natura rei, quia jam non habet legitimam causam permanendi extra claustrum; loquimur enim per se, et ex vi talis exitus, cujus totum fundamentum sublatum est. Unde etiam colligitur licentiam, sive juris, sive hominis, ipso facto cessasse, quia non potest intelligi data nisi ex causa legitima, et juxta exigentiam ejus; illa ergo conditio in ipso Indulto posita, si alium ordinem ingredi vellet, intelligitur supponi pro toto tempore, pro quo datur facultas, quia est fundamentum ejus, et veluti causa motiva adæquata, qua cessante, facultas, non tantum inutilis, sed etiam perniciose efficitur; cessat ergo cessante illa. Unde addo ulterius, si religiosus infra illud tempus desperet se posse ingredi illam religionem, pro qua habuit facultatem, vel quia intellexit se habere inhabilitatem aliquam, vel impedimentum propter quod in nullo illius loco recipitur, eo ipso teneri statim redire ad suam religionem; probatur, quia tunc etiam cessat ipso facto facultas manendi extra claustrum, tum quia rationes factæ non minus probant, quando deest potestas, quam ubi deest voluntas; tum etiam quia si desperatur ingressus, necesse est etiam deficere ab intentione procurandi illum. In his autem duobus casibus, non facile damnabo peccati mortalis quæcumque moram, quæ non excedit terminum a lege vel a Prælati transactum, neque est cum scandalo, vel extrinseca intentione mortali, quia non videtur materia nimis gravis, et a principio non intervenit dolus, ut supponimus.

28. *Ultimus casus expeditur.* — Unde e converso, si hujusmodi religiosus possit statim vel infra tempus brevius intrare alium ordi-

nem, nolit tamen usque ad finem temporis sibi designati, ut toto illo libertate fruatur, non videtur, per se loquendo, peccare mortaliter, quamvis minus religiose faciat. Probat prior pars, quia ex vi legis solum ei imponitur onus ingrediendi infra illud tempus, et semper habet propositum hoc implendi, ut supponimus; ergo ex hac parte servat jus; ergo facultas sibi concessa semper etiam durat, quia semper durat fundamentum ejus, quod est esse quasi in via ad alium ordinem; ergo in rigore non est ibi gravis transgressio alicujus præcepti, quia non obligatur quis summa celeritate, ut sic dicam, illam viam peragere, sed potius facultas illa concedere videtur totum illud tempus ad transitum illum consummandum. Quia vero directa intentio illius concessionis est terminum illum ponere, ut ultra illum non deferatur ingressus, non vero ut per totum illum retardetur, sed quoad hoc permissio tantum esse videatur, ideo si talis detentio sine rationabili causa fiat, non potest aliqua culpa excusari, quia est contra debitum clausuræ religiosæ, et abusus quidam permissionis, sub facultate sibi concessa.

29. *De altera conditione redeundi ad prioram religionem, si in posteriore non perseveretur.* — Additur præterea in illo Indulto, quod explicamus, si hujusmodi translatus, et in alio ordine jam receptus, in illo nolit vel non possit perseverare vel profiteri, teneri, postquam ab illo egreditur, ad Societatem, seu religionem suam, sine mora reverti; cujus ratio manifesta est, quia ille semper manet religiosus Societatis, seu prioris religionis, et solum concessum est ei esse extra obedientiam ejus, ut posset aliam religionem probare; ergo, eo ipso quod ab alia deficit, tenetur ex vi suorum votorum ad propriam religionem redire. Ad hunc autem reditum nullum certum tempus conceditur, sed præcipitur fieri absque mora, et additur eadem excommunicatio, nisi ita fiat; quod intelligendum est juxta supra dicta, quando mora culpabilis est, et ita notabilis, ut prudenti arbitrio ad culpam mortalem sufficiat.

30. Dubitari autem hic solet, an teneatur prior religio sic redeuntem admittere, quod tractat Sylvester, verb. *Religio*, 4, q. 5, et affirmative respondet; estque res manifesta, quia nemo potest a religione expelli sine causa sufficiente; ille autem qui ex legitima facultate voluit ad aliam religionem transire non dedit causam ut expellatur postea, quia

in alia receptus non est, vel in ea non perseveravit; ergo debet recipi; quin potius addo esse cogendus, et ad hoc teneri Prælatum religionis, quia nec religio, nec ipse religiosus possunt in hoc cedere juri suo, quia esset contra bonos mores, et contra obligationem professionis, quatenus Deo principaliter fit. Idque confirmat cap. *Abbates*, 18, q. 2. Et idem satis indicant Pius IV et Pius V, in dicto Indulto, quatenus dicunt hos religiosos teneri ad reditum, et excommunicant tam ipsos in mora existentes, quam illos recipientes, vel eis auxilium, consilium vel favorem præstantes. Nam hæc omnia supponunt, ex parte etiam religionis esse obligationem illos suscipiendi. Et licet ibidem statim tantum subjungatur, ut Prælati liceat eos per coactionem, si necessaria sit, revocare, illud verbum *liceat*, non excludit obligationem quam ipsi Prælati ex officio habeant reducendi, seu colligendi hujusmodi vagantes, sed explicat specialem potestatem ibi concessam dictis Prælati, ut expeditius et efficacius hoc præstare valeant.

31. *De tertia conditione, si translatus deserat illicite secundam religionem, subjaceat jurisdictioni primæ.* — Tertio hic addere possumus concessionem aliam ad modum seu conditionem hujus transitus pertinentem, quæ facta Minoribus est, ut in eorum Compendio refertur, et in Compendio Societatis, verb. *Apostata*, § 10; ratione ergo illius sic translatus ex legitima facultate suæ religionis, non solum si in alia non profiteatur, sed etiam si post professionem in ea factam illam deserat, ut in sæculo maneat, vel etiam ut ad laxiorem transeat, subjacet jurisdictioni Societatis, vel religioni Minorum a qua translatus est. Nam ex vi dictæ concessionis possunt Prælati talis religionis contra illum translatus, tanquam contra apostatam, procedere. Quæ quidem est satis nova potestas, nam ille, profitendo in alia religione, liberatus est ab obedientia prioris; ergo et a potestate coactiva ejus. Unde etiamsi sit proprietarius, vel subornator, non potest a Prælati religionis puniri, quia jam non est illi subditus; ergo nec propter apostasiam cogi, aut puniri potest. Respondetur tamen, ideo necessariam fuisse specialem Pontificis concessionem, quem constat potuisse hanc jurisdictionem Prælati prioris religionis communicare, seu delegare. Congruentia autem fuisse videtur, tum quia talis apostasia etiam cedit in injuriam prioris religionis; tum etiam ad vitandam fraudem, ne

quis illum transitum procuraret spe liberius postea vagandi, deficiendo ab altera religione, in qua fortasse circa hoc non tanta diligentia adhibetur, licet fortasse in aliis observantiis strictior sit.

32. *Dicta tamen conditio ad duos eventus limitatur.* — Advertendum est autem hoc solum concedi in duobus casibus. Primo, quando ille translatus iterum in sæculum redit; secundo, quando ad religionem laxiorem se transfert. Unde si ad æqualem secundo transeat, etiamsi in eo peccet, non habet Societas, seu prima ejus religio, jus in illum, quia ibi non conceditur, et aliunde non habet, ut probatum est; nec potest fieri extensio per similitudinem rationis, tum quia in privilegiis hoc locum non habet; tum etiam quia nec similitudo rationis ibi reperitur, nam potius congruentiæ adductæ ibi cessant, quia ubi est æqualitas religionis, nec timeri potest fraus, nec propria injuria, sed hæc fit tantum illi religioni a qua proxime receditur, ad quam spectabit illam propulsare. Dubitari autem potest an secundus casus de transitu ad religionem laxiorem intelligendus sit quando fit sine debita dispensatione, vel etiamsi fiat cum illa, si non intercessit consensus Societatis, seu primæ religionis. Posset enim hic consensus postulari, et tunc dispensatio esset subreptitia, ac proinde nulla, si absque illius mentione impetraretur. Verius tamen existimo intelligendum esse casum illum, quando transitus ad laxiorem fit sine legitima dispensatione, quia si fiat cum legitima dispensatione, nullum crimen committitur, et ideo non potest sic translatus ut apostata tractari. Nec verisimile est talem dispensationem pendere ex licentia vel consensu Prælati prioris religionis, quia neque ad illum cura illius personæ jam pertinet, per se loquendo, neque concessio illa ad hoc extenditur, quantum ex tenore ejus intelligi potest.

*Tertium dubium principale, an Prælati religionis gaudens prædictis Indultis possit dare facultatem ad transitum.*

33. Ultimo circa hæc Indulta inquiri potest an possit Prælati Societatis, verbi gratia (et idem de aliis intelligi potest cum proportionem, juxta uniuscujusque privilegia), an possit, inquam, dare suis subditis licentiam transeundi ad aliam religionem, et an, circa hoc, jus commune aliquo modo immutatum sit, nam cum subditi prohibeantur transire ad aliam religionem sine licentia sui Præla-